



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Secretum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

in sententiis criminalibus causa debet poni.

Quintò, sententia prolata super præsentatione vel electione, ut v. g. de institutione præsentati, vel confirmatione electi, an sit interlocutoria solum, vel interlocutoria habens vim diffinitivæ, vel diffinitiva, vide Gem. in c. fin. ver. secundò nota. & gl. de elect. lib. 6. ubi dicit, si causa sit inter partes, in contradictorio iudicio habes vim diffinitivæ, si non sit solemniter, vim interlocutoria, si solemniter, & non inter partes, vim diffinitivæ etiam, quod deservit pro declaratione sac. Conc. Trid. sess. 24. c. 20. de resor. & dictum est in 1. p. ver. appellatio, §. 11.

SECRETUM.

Secretum non debet revelari, etiam Præfato præcipienti sub pœna excommunicationis, quando non potest probari, vel non præcesserit infamia, vel indicia, Sot. de rat. teg. seer. fol. 119. D. Th. 2. 2. qu. 92. secretum sigilli confessionis nunquam, sed vide in pract. pen. c. 20.

SUBDITI.

Subditi, qui dicuntur? Respondetur, quod non solum ratione originis, vel domicilii, sed ratione delicti, contractus, rei sitæ, & beneficii, cap. fi. de for. comp. & c. Romana, §. contrahentes, eod. lib. 6. & ibi Covar. cap. valentes, de privileg. & hoc facit pro iuribus antiquis, vel novissimis, & præsertim sac.

Conc. Trid. in cap. liceat, ubi habetur, Episcopum posse exercere jurisdictionem in subditos, & sic potest in omnes subditos, de quibus hic Addit. in Host. in sum. tit. de sent. excom. §. medium, littera C. facit quod dicit gl. in cap. nuper, in ver. tunc erit absolutio, de sent. excom. & gloss. in Clem. quamvis, in ver. subditos, de for. comp. & Gem. & Archid. in cap. cum Episcopus, versi. ex secundo, de off. ord. lib. 6. ubi dicitur, prælatum habere ordinariam auctoritatem in aliquas personas ratione delicti, rei sitæ, & contractus, licet alibi habeant domicilium.

SEPULCHRUM CHRISTI.

Sepulchrum Christi Domini nostri non potest sine summi Pontificis licentia visitari, & non sine ratione, & ea potissima, ne leves homines terroribus, blanditiis, & vel cruciatibus infidelium à fide divertantur, D. Ant. 1. part. tit. 2. c. 3. §. 4. tract. de iur. & indulg. not. 30. n. 2. Reb. de brev. post. & alijs, nu. 35. ubi dicit hoc concedi per breve, vel per signaturam, si est præsens, vel absens impetrans.

SEPULTURA.

Primo, an habens sepulturam in aliqua ejus capella, possit admittere, ut alii sepeliantur in ea, Navar. cons. 1. de sepult. videtur dicere, quod sic, per Clem. dudum, §. huiusmodi, de sepult. etiam sine speciali licentia Episcopi, hoc tamen ego limito, primo, ne procedat, quando ex hoc sequeretur præjudi-